

- Pyromancia est quedam sciencia divinatoria per ignem et motum eius, ubi apparent ymagines^{e)}, per quam homo sciens illam scienciam potest pronosticare de futuris, sicut de morte futura propinqua vel remota. Et dicitur a pir, quod est ignis, et mantos, quod est divinacio, et icos sciencia; quasi sciencia divinacionem faciens in igne. Ydromancia est divinacio facta per corpora bene tersa et polita, sicut in speculis vel christallis et in aere et aqua; et huic subalternatur sciencia incantandi, includens spiritum in christallo vel in aqua, ut dicat veritatem de futuris vel de aliis huiusmodi. Nygromancia est sciencia divinatoria qua advocantur demones ad dandum responsa, et fit plerumque per ossa mortuorum et viget in pluribus terris; maxime tamen, ut refert Franciscus de Esculo, in partibus septentrionalibus, et alique vetule multum sollicitantur in hac, habentes aliquas experiencias in talibus. Et dicitur nigromancia a nigros, quod est mortuum etc. Geomancia est sciencia divinatoria que fit circa terrena, cuius sunt plures tractatus de proiectione zabuli mundi; dicta a ge, quod est terra. Cyromancia^{f)}, quam addidi hiis quattuor, est sciencia divinatoria futurorum in dispositione palmi manualis, dicta a cyros^{g)}, quod est palmus vel manus etc. Iste sunt species^{h)} prime partis principales sciencie divinatorie, scilicet mantice.*
- 35 Secunda species principalis dicebatur *mathesis*, cuius etiam sunt plures species, scilicet *aruspicium*, *augurium*, *auspicium* etc. Quarum descriptiones patent in libro de vinculo spiritus et in libro de ministerio nature, quem fecit Yparcus. In quo libro tractatur de tribus speciebus sciencie magycalis sive divinacione, scilicet de sortilegio, prestigio et maleficio.
- 40 De auspicio, augurio et aruspicio non multum curo ad propositum, scilicet dicere futura in avibusⁱ⁾, sicut sacerdotes antiquitus consueverunt, quoniam ad aruspicium vel in garritu ac volatu avium predicere futura, sicut augurium et auspicium faciunt. Tamen verum est, quod in avibus et consimilibus animalibus sompniantes viderent futura sicut in
- 45 stellis, sicut dicit Ptholomeus et Albertus; hoc apparet in tractatu suo „De fato“⁴⁾.

e) verb. aus homines

f) yromancia Hs.

g) fii [?] Hs.; vgl. Yconomica, ed.

Krüger (wie Text-Anm. 1)

S. 151, 7; 251, 11.

h) principales gestr. Hs.

i) avis Hs.

4) Das Werk „De fato“ wird in mittelalterlichen Handschriften und neuerdings wieder Albertus Magnus zugeschrieben; gedr. unter den Opera omnia des Thomas von Aquin, ed. S. E. Freté, Bd. 27 (1885) S. 454—464: Opusculum XXIV: De fato secundum Albertum; vgl. L. Thorndike, History, Bd. 2, S. 612 ff.